



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCV. Septem panibus, & pisciculis paucis quatuor millia
virorum in deserto saturantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

208 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum*
utaris, recede ab hominum turbâ , qui tibi vel exemplum , vel occasionem mali usûs , vel usûs boni negligendi , præbent ; & recipe digitos auxiliantis Divini Manûs : nempe utere oblatis Auxilijs ac Medijs , quæ tibi D E V S suppeditat. Opem enim & Auxilium Divinum denotari per digitum D E I , indicatur Exod. v. 19. *Digitus D E I est hic.* Toties ergo D E V S digitum ori , vel oculis , vel auribus tuis imponit , quoties ad rectum usum vel custodiam hujusmodi sensuum excitat , & adjuvat infirmitatem tuam. Digitus etiam per sputum & salivam (quæ Sapientiam denotat) madefacto , Christus linguam tuam tangit , ut rectè loquaris , quoties eam regit , & movet , ut non nisi tarde , parcè & consideratè secundum leges Dominae suæ Sapientiæ illam in verba solvas. Præter Exemplo suo ostendit , quomodo prius sit in Calvo inspiciendum mentis elevatione , & gemitu , pro recto linguae impetrando. Denique aures & os aprire jubet , quoties te excitat ad audiendum Deum tibi loquentem , vel ad loquendum D E O , aut pro D E O .

MEDITATIO CCCV.

*Septem panibus , & pisciculis paucis
quatuor millia virorum in deserto saturantur.*

Matth. 15. v. 29. Marc. 8. v. 1.

PUNCTUM. I. Cùm turbæ grata Christi Conversione , Miraculorum inspectione , & auditione Verbi Divini per tres dies cum Christo impransæ ac inci-

natæ mansissent, JESUS convocatis Discipulis suis dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Matth. 15. v. 32. Ecce, quām solicitus sit Christus pro ijs, qui constanter cum ipso perseverant, & suī curam ipsi relinquunt. Simus ergo nos solliciti pro Anima reficienda rerum Spiritualium constanti cura: de cæteris Deis providebit. Ruborem verò nobis iniiciat triduana turbæ cum Christo Perseverantia, quibus sæpe unicâ horâ cum Christo conversari tædiosum est, utpote non rarò Orationis horam vel abrumpentibus, vel omnino negligentibus, vel obiter & perfunctoriè exolventibus.

PUNCT. II. *Et dicunt ei Discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Matth. 15. v. 33. Si memores fuissent Discipuli, antehac quinque panibus quinques mille viros præter parvulos & mulieres à Christo in deserto refectos fuisse, procul misissent omnem solicitudinem. Sic memoriam Divinæ erga nos Providentiæ ac Liberalitatis omnem inordinatam solicitudinem pellamus: & quò magis deficiunt media naturalia ac propriæ vires, eò magis confidamus DEO.

PUNCT. III. *Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit Discipulis suis, & Discipuli dederunt populo: & comederunt omnes, & saturati sunt: & quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres. Matth. v. 36. Si etiam nos pro exiguo, quod habemus, Deo agamus gratias, & DEI Benedictionem mereamur, quemadmodum Christus, teste Marco, pisciculos paucos benedixit,

O semper

semper abundabimus: cùm econtrario alij etiam multis, quæ habent, nunquam satientur. Ut hocce & tè agnosceremus, ideo altera jam vice paucos panes & pisces Christus miraculosè multiplicavit. Iterum verò reliquiarum multitudine, earumque collectio ne, docemur, quomodo DEVS non tantum ad sufficientiam, sed etiam ad abundantiam erga nos fit liberalis, & velit, ne Dona sua interire sinamus. Sumus ergo & nos simili modo liberales erga DEVUM, & non tantum ex obligatione Præcepti debita, sed etiam supererogatoria libenter præstemus: nullasque Gratias, & Auxilia perire patiamur. Nota, parvulos & mulieres hic in numero non haberi; id enim solum merentur illi, qui sunt Masculæ & adultæ Virtutis, ut inter sequentes Christum numerentur: ideo dicitum est: *Extra parvulos & mulieres.*

M E D I T A T I O CCCVI.

Pharisæi & Sadducae signum è Calo postulant. Matth. 16. v. i. Marc. 8. v. 11.

PUNCTUM I. *Et dimissâ turbâ ascendit in naviculam, & venit in Fines Magedan.* Matth. 15. v. ult. Marcus c. 8. v. 10. ait: *Venit in partes Dalmanutha:* quod vel esse oppidum vicinum, vel est idem locus utroque nomine insignitus. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducae intentantes:* & rogaverunt eum, ut *Signum de Calo ostenderet eis.* Matth. 16. v. i. Idem petierunt etiam alijs Matth. 12. v. 38. Existimabant enim, id Christum posse, & ideo Miracula patrata posse contemni, tanquam ope dæmonis facta. An non aliorum egregie